

sed per modum detinentis, ut ex dictis patet. Et ideo ratio non est ad propositum. » — Hæc ille.

Et hæc de questione sufficiant. De qua benedictus Deus in æternum. Amen.

DISTINCTIO XLV.

QUÆSTIO I.

UTRUM SANCTI QUI SUNT IN PATRIA, COGNOSCA-
NT ORATIONES NOSTRAS

CIRCA quadragesimam quintam distinctionem queritur: Utrum sancti qui sunt in patria, cognoscant orationes nostras.

Et arguitur quod non. Quia, sicut sancti post mortem vident Verbum, ita et angeli, de quibus dicitur, Matth. 18 (v. 10): *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Sed angeli Verbum videntes non propter hoc omnia cognoscunt, cum a nescientia minores a superioribus purgantur, ut patet per Dionysium, septimo capite, *Celestis Hierarchie*. Ergo nec sancti, quamvis videant Verbum, in eo orationes nostras cognoscunt, nec alia quæ circa nos aguntur.

In oppositum arguitur. Quia super illud Job 14 (v. 21), *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget*, dicit beatus Gregorius in libro *Moralium* (lib. 12, cap. 21, vel. 13, rec. 14): *Hoc de animabus sanctis sentiendum non est; quia qui intus Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est quod sit foris aliquid quod ignorent*. Ergo sancti orationes sibi factas cognoscunt.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponuntur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod beati vident in Verbo orationes vocales eis directas.

Secunda est quod beati vident in Verbo devotiones mentales eorum qui eis afficiuntur, et cogitationes.

Has duas conclusiones ponit sanctus Thomas, præsentī distinctione, q. 3, art. 1, ubi sic dicit:

« Divina essentia est sufficiens medium cognoscendi omnia. Quod patet ex hoc quod Deus, videndo essentiam suam, omnia intuetur. Non tamen sequitur quod quicumque essentiam Dei videt, omnia cognoscat, sed solum qui essentiam comprehendit; sicut nec, aliquo principio cognito, consequens est omnia cognosci quæ ex principio cognoscuntur, nisi tota virtus principii comprehendatur. Unde, cum animæ sanctorum divinam essentiam non comprehendant, non est conveniens ut omnia cognoscant quæ per divinam essentiam cognosci possunt. Unde etiam de quibusdam inferioribus angelis a superioribus edocentur, quamvis omnes divinam essentiam videant. Sed unusquisque beatus tantum de aliis rebus necesse est ut in divina essentia videat, quantum perfectio beatitudinis requirit. Hoc autem ad perfectionem beatitudinis requiritur, ut homo habeat quicquid recte vult. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea quæ ad ipsum pertinent, cognoscat. Unde, cum nulla rectitudo desit sanctis, volunt cognoscere ea quæ ad ipsos pertinent. Et ideo oportet quod illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet, quod auxilium indigentibus præbeant ad salutem; sic enim Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est divinius, ut dicit Dionysius, 3 cap. *Ecclesiasticæ Hierarchie*. Unde patet quod sancti cognitionem habent eorum quæ ad hoc requiruntur. Et sic manifestum est quod in Verbo cognoscunt vota, et orationes, et devotiones hominum qui ad eorum auxilium confugiunt. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari ratio pro utraque conclusione simul. Quilibet beatus omnia illa videt in divina essentia, quæ pertinent ad suæ beatitudinis perfectionem. Sed cognoscere cogitationes, affectiones et voces beatis directas, pertinet ad perfectionem suæ beatitudinis. Ergo beati talia cognoscunt.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

Argumenta Durandi. — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem Durandus (dist. 45, q. 4), contra ambas arguit, in hunc modum dicens: In beatis hominibus, et angelis, ponitur triplex (x) cognitio: scilicet naturalis, beatifica (b), et quædam media, quæ est revelatoria. Si queratur de prima cognitione, an per eam beati cognoscant orationes nostras, dicendum est quod non, saltem animæ separate. Et hoc patet dupliciter. *Primò*: Quia naturalis cognitio animæ

(x) triplex. — duplex Pr.

(b) scilicet: naturalis, beatifica. — prima scilicet naturalis et beata Pr.

separate non est perfectior quam naturalis cognitio (α) ejusdem animæ conjunctæ; alioquin fugiendum esset animam (β) uniri corpori, si ex ejus unione ipsa efficeretur imperfectior. Sed anima conjuncta corpori non cognoscit naturali cognitione cogitationes cordium, nec exteriora facta absentium. Ergo similiter anima separata non potest cognoscere cognitione naturali orationes nostras mentales, nec vocales vivorum absentium. *Secundo* : Quia naturalis cognitio animæ separate communis est bonis et malis. Sed mali non cognoscunt nec cogitationes nec facta viventium, sicut dicit beatus Gregorius (12. *Moral.*, cap. 21, rec. 14, vet. 13), sumens argumentum de anima divitis epulonis, qui ignorabat statum et facta suorum fratrum (γ). Ergo nec animæ beatæ cognoscunt naturali cognitione facta vel cogitata viventium.

Si autem quaeratur an beati cognitione beata cognoscant orationes nostras mentales, vel vocales, dicendum est quod non. Quia illa quæ quandoque cognoscuntur, et quandoque non, non pertinent ad cognitionem beatam. Sed cognitio, si quam habent beati de orationibus nostris mentalibus, vel vocalibus, non semper est in eis : quia, si cognitio talium semper esset in eis, eadem ratione et cognitio omnium aliorum particularium contingentium, et sic non indigerent quod eis aliquid revelaretur; quod falsum est, cum angeli, qui non sunt animabus inferiores, per revelationem purgentur a nescientia multarum rerum, ut patet per Dionysium (*de Coelesti Hierarchia*, cap. 7). Ergo talis cognitio non est beata. Minor jam patet. Sed major probatur. Quia cognitio beata, est una cognitio semper manens, respectu unius principalis objecti eodem modo semper se habentis; et ideo impossibile est quod per eam aliquid de novo cognoscatur, nisi sit aliqua mutatio in objecto representante, vel in (δ) ipsa operatione, vel utroque modo. Constat autem quod in objecto non potest esse aliqua mutatio. Nec in actione, quin sit alia secundum numerum; nisi forte secundum intensionem mutaretur; in simplicibus enim formis non invenitur aliud genus mutationis. Mutatio autem secundum intensionem non est in beatitudine; alioquin beatitudo essentialiter auferetur; quod nullus ponit. Et (ε) si esset, non

sufficeret ad hoc quod aliquid de novo cognosceretur, sed solum ad hoc quod prius cognitum intensius cognosceretur. Restat ergo quod in cognitione beata non est mutatio, nisi sit alia secundum numerum; et sic non esset eadem beatitudo, qua semper aliquis est beatus; quod est inconveniens. Relinquitur ergo quod ea quæ non semper cognoscuntur a beatis, non cognoscantur cognitione beata. Et hæc fuit major. Minor probata est. Ideo sequitur conclusio.

Si autem loquamur de cognitione revelationis, sic dicendum est, quod omnes beati cognoscunt orationes nostras, sive mentales, sive vocales, quæ ad eos diriguntur. Quia, secundum beatum Augustinum (13. *de Trinitate*, cap. 5; et habetur in littera, dist. 49), ad beatitudinem requiritur quod unusquisque habeat quidquid vult, nec velit aliquid inordinate. Sed quilibet recta voluntate vult cognoscere ea quæ ad ipsum pertinent. Et ideo beati, quibus nulla rectitudo deest, volunt cognoscere ea quæ ad ipsos pertinent, et cognoscunt. Sed orationes quas ad eos dirigimus, ad eos pertinent; tanquam ad mediatores inter nos et Deum. Ergo beati illas orationes cognoscunt. Et cum hoc non sit (α) cognitione naturali, vel beata, ut probatum est, relinquitur quod sit cognitio (β) revelatoria, quæ pertinet ad beatitudinem accidentalem. — Hæc Durandus, in forma.

Contra easdem conclusiones possent adduci multa argumenta anglicorum doctorum, quæ recitata fuerunt, 3. *Sentent.*, dum de scientia animæ Christi tractaretur (dist. 14, q. 2). Sed non oportet hic recitare.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

Ad argumenta Durandi. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est ad objecta Durandi. Ad quæ Petrus (dist. 45, q. 2) in hunc modum sic dicit : « Posset, inquit, sustineri quod sancti etiam visione beatifica viderent orationes nostras : quia illa visione non solum vident divinam essentiam, sed etiam quidquid ad eos pertinet, ut arguens dicit; sed ad ipsos pertinent orationes ad eos directæ, ut ipse arguens concedit; ergo illas vident visione beata. Nec obstat quod illa visio non variatur; quia possibile est quod beatus, a princi-

(α) a verbis animæ separate usque ad cognitio, om. Pr.

(β) animam. — animæ Pr.

(γ) In hoc loco libri *Moralium* dicit utique Gregorius, mortuos qui non sunt beati, ignorare qualiter disponatur vita in carne viventium; non tamen, sicut asserit Durandus, sumit argumentum de anima divitis epulonis. In aliis vero locis, sive *Moralium*, sive *Dialogorum*, sive *Homiliarum*, etc., ubi de dicto divite loquitur, hanc ignorantiam non affirmat. Hoc potius reperies apud Alulfum, in *Expositione Veteris et Novi Testamenti*, ex dictis et sententiis Gregorii confecta (*Expos. super Evang. sec. Lucam*, cap. 68).

(δ) in. — Om. Pr.

(ε) Et. — Etiam Pr.

(α) cum hoc non sit. — tamen non fit Pr.

(β) cognitione. — cognitio Pr.

pio suæ visionis et beatitudinis, videat in Deo omnes orationes ad se dirigendas in perpetuum; et sic postea propter hoc illa visio non mutatur. Nec obstat si dicatur quod quanto aliquis limpidius videt Deum, tanto plura in ipso videt; contingit autem plus orari sanctum minus videntem Deum; ideo, etc. Dicendum enim quod prima propositio est vera de visis per se perficientibus intellectum, sicut sunt quidditates credibiles; non autem de singularibus. Vel potest dici quod de novo ea cognoscit, cognitione non intensa, sed extensa ad plura objecta: sicut aliquis obscurius videns speculum, plura videt in ipso quandoque quam aliquis videns clarior; sicut si obscurius videns, in facie sua habeat plures maculas, vel res alias, quæ omnia videt in speculo viso, et non alius clarioris visus, qui pauciora habet in facie sua. Et, per eandem rationem, si videnti speculum superveniat macula in facie sua, vel claritas quæ prius non erat, videbit illam de novo in speculo: non utique visione interrupta, nec intensa, quia nec potentia (α) nec species ejus nec objectum nec lumen sunt intensæ, quæ sunt tota causa ejus; sed visione extensa. Ita et in proposito potest imaginari: quia, licet in hoc sit dissimile, quod divina essentia, quantum est in se, omnia representat, et non relucet in ea ex parte sua aliqua de novo, sicut in speculo; tamen in alio est simile, scilicet quod, secundum quod videns Deum est diversimode dispositus, non solum per lumen gloriæ, sed etiam per dispositionem naturalem concurrentem, diversa ei divina essentia representat; et si de novo disponatur aliter, etiam lumine non mutato, plura representabit; sicut etiam aliqui dicunt, quod, post resurrectionem, anima Deum clarius videbit, etiam lumine non intenso. — Quod autem dicit arguens de cognitione revelatoria, non videtur valere: quia revelatio non est de illis quæ specialiter ad unumquemque pertinent, sed de illis quæ generaliter ad statum Ecclesiæ pertinent, de quibus in via est revelatio prophetiæ; quæ tamen, postquam revelata sunt a Deo immediate, vel mediante angelo superiore, statim cognoscuntur visione beatifica, secundum quosdam. » — Hæc Petrus, et bene quantum ad ea quæ dicit in prima solutione. Concordat enim sanctus Thomas, 1 p., q. 12, art. 10, ubi querit: Utrum videntes Deum per essentiam, simul videant omnia quæ in ipso vident. Et respondet sic: « Ea quæ videntur in Verbo, non successive, sed simul videntur. Ad cuius evidentiam videndum est quod nos non possumus simul multa intelligere, quia multa per diversas species intelligimus. A diversis autem speciebus non potest unus intellectus simul actu informari ad intelligendum per eas; sicut nec unum corpus potest simul diversis figuris figurari. Unde contingit quod quando aliqua multa una specie intel-

ligi possunt, simul intelliguntur: sicut diversæ partes alicujus totius, si singulæ propriis speciebus intelligantur, successive intelliguntur, et non simul (α); si autem intelligantur omnes una specie totius, simul intelliguntur. Ostensum est autem (ead. quæst., art. 9) quod ea quæ videntur in Deo, non videntur singula per suas similitudines, sed omnia per unam essentiam Dei. Unde simul et non successive videntur. » — Hæc ille. — Item, ibidem (in arg. Sed contra), allegat dictum Augustini, ultimo de Trinitate (cap. 16), ad propositum sic dicentis: « Non erunt volubiles cogitationes nostræ, ab aliis in alia euntes atque redeuntes; sed omnem scientiam nostram simul uno conspectu videbimus. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod anima beata tot et eadem videt in Verbo per visionem beatificam in primo instanti suæ beatitudinis, quot et quæ post (β) ibidem visura est in æternum.

Ex predictis similiter patet quod alia quæ postea subdit Petrus, non sunt probabilia: puta quod eadem visione beatifica non intensa, sed extensa, beatus nunc videat plura, nunc pauciora; vel quod de novo videat aliqua, nulla facta mutatione in visione beatifica. — Quod autem inducit de videntibus speculum, quorum unus habet plures maculas in facie, etc., — non valet, propter multa. Primo: quia illi taliter videntes facies suas in speculo, vident per diversas species alterius rationis, et non per unicam speciem numero, nec ratione; ideo nil mirum si diversa videant, et qui plura ibi viderit, remissius videat speculum. Secundo: quia ille qui de novo aliquam faciei suæ noviter emergentem maculam videt, per aliam speciem quam prius videt; secus est de videntibus divinam essentiam. Tertio: quia, ut alias dicitur (dist. 49), visio rerum in divina essentia non per omnia assimilatur visioni rerum in speculo. Et propter multa alia, similitudo non valet. — Ulterius, illa quæ dicit Petrus, de revelatoria cognitione, parum valent: quia revelatio potest esse de pertinentibus ad aliquem beatum in particulari.

Ad argumentum contra questionem (γ), respondet sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 3, art. 1, in solutione quarti, sic dicens: « Quamvis videntes Verbum non sit necessarium omnia in Verbo videre, vident tamen ea quæ ad perfectionem beatitudinis eorum pertinent. » — Hæc ille.

Et hæc de quæstione sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

(α) simul. — semel Pr.

(β) post. — prius Pr.

(γ) questionem. — conclusionem Pr.

(α) potentia. — positio Pr.